



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

II. De nominibus ante precem sacerdotis non recitandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

6 INNOCENTII PAPÆ I.

teteos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse, non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpe dilectionem tuam ad urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia conuenisse, & quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in ceteris agendis arcanis teneat, cognouisse dubium non est. Quod sufficere ad informationem Ecclesiae tuæ vel reformationem, (si prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt) satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxissemus. Quibus idcirco respondemus, non quod te aliqua ignorare credamus, sed ut maiori auctoritate vel tuos institutas, vel, si qui a Romanæ Ecclesiae institutionibus erant, aut commoneas, aut indicare non differas; ut scire valeamus, qui sint, qui aut nouitates inducunt, aut alterius Ecclesiae quam Romanæ existimant consuetudinem esse seruandam.

I.

De confess. dist. 2. Pa- cem igitur. Pacem ergo asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda, per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrentur.

II.

De confess. dist. 1. De nominibus recitandis. De nominibus vero recitandis, antequam preces sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut, cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamuis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendanda, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

III.

De confignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quā ab Episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent.